Dantisci Joannis: De nostrorum temporum calamitatibus Sylva Bonon edita IX. Decembris 1529.

Impr. Cracoviae 1530.

IOANNIS DAN-
TISCI ORATORIS SERENIS
ſimi Regis, & Reginæ Poloniæ &c̃. ad
Clem. VII. Pont. Max. & Caro-
lum. V. Imp. Aug. de no-
ſtrorum temporum
calamitatibus
Sylua Bonoñ. ędita. IX. Decẽ-
bris. M. D. XXIX.

Impreſſa Cracouiæ. M. D. XXX.
24 Februarij.

AD LECTOREM.

Quum noua delectent, noua Lector Sarmata vates
Edidit in Latio carmina, nõne placent?
Si re non alia, placeant nouitate, q̄ ante
In Latio Vates ſarmata rarus erat.
Naſo Tomitanas quondam datus exul ad oras
Edidicit Gethice, Sarmaticeq; loqui.
Heſperice ſic forte loqui, dum miſſus vtranq;
Heſperiam peragro, me didiciſſe puta.
Si quid ineſt igitur, terſumue, minusue politum,
Hac veniam iuſta cum ratione dabis.
Extorſit faciles numeros miſerabile tempus,
Quo tanto rerum turbine cuncta fluunt.
Si de Caſtalio non ſpirant fonte liquores,
Nec redolent Phœbum, Pieridumue choros.
Ne contemne tamen, ſed rem perpende legendo
Quum ſenſum teneas: nil ego verba moror.

SYLVA

GRande Sophoclæo quicūq; poema cothurno
Concipit, Heroum gesta superba canit.
Exornat claris sua carmina celsa triumphis:
Hippocrenæis tingit & illa vadis.
Tempora materiam fœlicem læta ministrant,
Vatis & ingenio, carbasa plena, ferunt:
Hac mihi sed misera sub tempestate volenti
Scribere, se tristes exhibuere modi.
Seq; mihi sparsis offert Elegia capillis,
Et mœsto quæstus mittit ab ore graues.
Omnia plena metus, horroris & omnia plena,
His lachrimans numeris præcinit imparibus,
His vos o Clęmens, & Carole, Lumina prima:
Vos duo compello: sub quibus orbis agit.
Phas mihi sit venia cum vestra pauca profari:
Tempora quæ pro re dicere nostra iubent.
Ipse licet taceam, non res afflicta tacebit:
Qua Christi passim grex, & ouile, perit.
Crimina quandoquidem meruerunt nostra malorum
Hanc Lernam, nobis monstra tot vnde nocent,
Pestis, bella, fames, incendia, præda, rapinę:
Inficiunt nostro quicquid in orbe manet.
Pax & amor, virtus, & honesti recta cupido:
Cumq; pudore fides turpiter acta iacent.
Relligio, pietas, timor, & reuerentia Diuum:
Inter mortales vix manet vlla magis.

Succreuere dolus, liuor, priuata simultas,
Fraus, odium, rabies, ira, libido, furor.
Seditio, vis, insidiæ, corruptio legum,
Impietas, superum peneq; nullus honor.
Hinc male quum regitur, plebs pcita, frena remordet
Cœpit, & in Reges non semel arma suos.
Non opus est cædes, & prœlia dira referre:
Testis adhuc Rhenus, testis Iberus erit.
Fastus, auaritiæq; lues insanaq; multos
Ambitio, contra phasq; piumq; rapit.
Ex his tot casus: & mille pericula rerum
Proueniunt, hæc sunt ad mala multa, Duces.
Oppida magna sub his: & regna perire videmus:
Ruraq; multa suis orba iacere satis.
Non tamen erigimur: nec adhuc grauiora timemus:
Quæ dabit offensi plaga futura Dei.
Hunc pauci metuunt, & amant, vix vnus & alter:
Qui nunc Europes sub regione sumus.
Hinc sunt tot sectæ, quas hæresis atra notauit:
Per quas Christicolis magna ruina venit.
Fit minor assidue fidei Respublica nostræ
Quod quo deberet lumine, nemo videt.
Prętereo priscis quę sunt amissa diebus:
Quum Christi clarum nomen vbiq; fuit
Quandoquidem tunc in terram transiuerat omnem:
Quod nunc in nostro noscitur orbe parum.

Hic ego nō Vrbes Asiæ, nec perdita regnā
Commemoro, nostris nunc inimica sacris.
Nec Libyæ gentes, pietatis iura professas,
Quas modo Mahometi possidet atra lues.
Caucaseos populos, & Caspia littora linquo
Quę tenuit nostræ relligionis amor.
Aut quos Amurathes, quos aut Payzetus adegit,
Sanctam baptismi linquere fontis aquam.
Ad nostros venio, quos si reputabimus annos,
Emittent lachrymas saxea corda pias,
Græcia sub patrum nostrorum tempore victa,
Turcaico seruit, subdita facta, iugo.
Quis posset paucis, tot bella cruenta referre,
In quibus ex nostris millia multa iacent.
Vt mittam reliquos, quorum non parua caterua
Sub signo fertur succubuisse crucis.
Quem non cōmoueat, clades Varnensis, in illa, *Ladislaus Vngariæ & Poloniæ Rex.*
Ille mei Regis patruus occubuit.
Hinc Bizantina tot cædibus Vrbe subacta,
Turcarum vis est semper adaucta magis.
Auxit & hostilem discordia nostra furorem
Ad nos a Syrijs quem procul egit agris.
Cum Persis, & cum, quæ bella fuere, Sabæis,
Aut cum Niliacis, sat puto nota, viris.
His, quum sciretur nos dissentire, relictis,
In nos armorum vis ea mota fuit.

Collectis igitur non paruis viribus hostes,
  In ripis Histri continuere pedem.
Et prope Taururum Belgradum quod modo dicunt,
  Fixerunt certis plurima castra, locis.
Sulphureo Tonitru manibus formata Cyclopum
  Proiecit crebros ærea canna globos.
Oppugnabantur confractis mœnia muris:
  Mansit & intactum, quod potuere, nihil.
Arx in Pannonicis non est munitior oris:
  Inter vasta duo flumina septa iacet.
Vnam Danubius partem, reliquã celer ambit
  Sauus, vbi fluuio cum potiore coit.
Hæc contra Turcas inuicta manere solebat.
  Abstulit his vno millia multa die.
Qua de re furor hostilis: tum fortiter acri
  Cum studio, ceptum continuauit opus.
Suppetias tandem fessis quum nemo ferebat,
  Arx fuit hostili capta subinde manu.
Eloquar, an sileam, nobis stertentibus inq̃,
  Nostra ceperunt ex ditione Rhodum.
Clara Rhodus fuerat seps: qua trux dente Lycaon
  Non poterat Christi semper obesse gregi.
Hac modo perfracta: penetralia tentat ouilis,
  Quod nisi sit qui defendat: & huius erit.
Nos intestinis nihilominus omnia bellis:
  Miscuimus, nec adhuc exitus inde datur.

Hostibus hinc animus, grandisq; potentia creuit,
Climata qua mundi iam potiora tenent.
His neq; contenti, quod adhuc superesse videtur,
Donec in hac stamus seditione petunt.
Vtraq; iampridem quum Mysia pareat illis,
Vicinisq; uolunt imperitare locis.
Ingens Sarmaricæ tentarunt subdere Regnum, Sarmatia quæ nunc Polonia.
Afflictum toties quod fuit ante satis.
Vasta iacent: quondam fœcunda Podolica rura,
Quę fuerant Siculis fertiliora iugis.
Magnanimis hæc quum suberant integra Polonis,
Suppetias & opes hinc habuere suas.
Terra ferax Cereris, pecoris, nutrix & equorum
Præpetium, genitrix belligerumq; virum.
Nunc deserta perit, paucis habitata Colonis,
Hostibus & cunctis peruia facta patet.
Huc ab Hyperboreis gens barbara confluit oris:
Et quę Riphea sub niue dura riget.
Huc simul Euxini proficiscitur accola ponti:
Cum trucibus Bessis: gens truculenta Getæ.
Tartaricis dedit his populis puto nomina Pluto,
Per quos iam teritur Sarmatis ora diu. (Achiuus
Dalmata, Trax, Macedo, Lacedemon, Phrix &
Qui Turcæ nostro tempore nomen habent.
Huc etiam, quum sint vicini, sæpius intrant:
Et desolarunt quicquid vbiq; fuit.

Hinc nuper fines bis vastauere Polonos:
Annus quum nondum rite peractus erat:
Oppida cum pagis crudeliter igne cremarunt,
Mactantes cunctos qui renuere capi.
Post captiuorum densas duxere cateruas:
Quorum miriades tres numerasse ferunt:
His inerant pueri, iuuenes, teneræq; puellæ,
Matronę tremulę, decrepitiq; senes.
Res miseranda quidem, succurrere nemo valebat:
In subitis fieri casibus ista solent.
Vt cursu venere cito, rediere, statimq;
Dispersus cogi Miles ad arma nequit.
Hoc ita victores vno facti bis in anno,
Sic ad Threicias bis rediere domos.
Et sibi, quos dicunt hoc nostro tempore Moscos:
Fœdere iunxerunt, terribilesq; Scythas.
Qui gelidum Tanaim. vastiq; Borysthenis vndas:
Quiq; vel ex rapido Phasidis amne bibunt.
Quicquid & est hominũ quibus indunt tartara nomẽ
In nos cœperunt hostica signa sequi.
Quod Rex Sarmatiæ, quo nec pietate, nec armis
Clarior, expendens, arma parare iubet.
Sed quum se vidit tot cingier hostibus impar:
Noluit ancipitem Martis inire viam.
Subsidium prius, at nę quicquam sępe petiuit:
Hinc ter in Hesperia posteriore fui.

Quum.

Quum tamen his bellis nunc Gallus nũc & Iberus
Ferueret, & Latiæ diriperentur opes.
Nec foret auxilij ſpes vlla: ſed acrius inter
Chriſticolas rabies creſceret illa magis.
Ne temere bellum gereret tot ſolus in hoſtes:
Et ſeram victus quæreret exul opem.
Tractauit potius certam pro tempore pacem,
Quam ſub præſcripta conditione tenet,
Huic paci voluit Rex prudens iungere Regem, *Ludouicus Vngariæ & Boemiæ Rex.*
Qui tenera rexit tunc duo ſceptra manu.
Huncq́; ſuum monuit toties ex fratre Nepotem:
Poſceret vt tanto pacis ab hoſte modum.
Conſilio tamen Hũnorum parere ſuperbo
Maluit, hoc fretus, ductus ad arma fuit.
Hoc infœlicem conflictum fretus iniuit:
Inq́; iuuentutis flore cadens perijt.
Sic fuit in fatis: quæ non vitantur ab vllo:
Præterijt nemo quem ſtatuere diem.
Quam miſeranda fuit tum cædes Rege perempto,
Quum ſit nota, vetat commemorare dolor
Tot proceres: ſacriq́; patres, quos infula texit,
Pugnantes, diræ ſuccubuere neci.
Tunc nihil in uictos crudelis victor omiſit
Quod ſuaſit rabies, impetus, ira, furor.
Graſſatum fuerat per rura, per oppida paſſim:
Incenſæq́; domus pauperis agricolæ.

5

Buda caput regni direpta, crematacꝫ tota:
Parsum structuris sed tamen arcis erat.
At prius euersum Varadinum nobile castrum
Cum reliquis, quæ non enumerare vacat.
Transeo quę fuerat per Turcas ædita strages
In plebem, vel quot diruta templa iacent.
Millia quotue hominũ fuerant abducta per Histrum,
Tendentes vinctas, mente sub astra, manus.
Collachrimare libet, plorantem cernere turbam
Me reor, vt durum fertur in exilium.
Perculerant tamen ista parum nos ore professos
Christum, quem raro pectora nostra colunt.
Inde sed irrepsit regnandi dira cupido
Pannonia motus dans in vtracꝫ nouos.
Qui nuper totum traxere in prœlia mundum:
Quorum tam subito, non puto, finis erit.
O miseram nostro male quo sic viuitur ęuo
Pãnoniam, cunctis quæ data præda gemis.
Hoc quod atrox hostis fecit, facit hoc & amicus,
Ex omni misere sic modo parte ruis.
Quos tu fecisti, te diripit impia Regum
Ambitio, quorum sæua per arma peris.
Tertius accessit, qui prœlia tanta diremit,
Et trux hostibus his, hostis, vtriscꝫ nocet.
Obsedit pulchram: multa cum gente Viennam,
Austriacos late depopulatus agros.

Ante sed a victis, vi sceptrum ceperat Hũnis,
Quos nunc omnimoda sub ditione premit.
Equauitq; solo Budam: deiecit & arcem:
Liquerat intactam quam pietate prius.
Occidit tamen hic omnes quos viuere nouit.
Dicitur in multis hocq; patrasse locis.
Non ætas pueris, sexus, nec forma puellis
Profuit, hostili quin caderent gladio.
Sacra sacerdotes: ædes, diuumq; figurę:
Quicquid ibi nostrę relligionis erat.
Interiere simul Regno cum Rege subacto
Quæ victor dederat: vnde tributa capit.
Ad præsens hyberna sua cum gente petiuit:
Non procul a nobis tempore Veris erit.
Præsidijs abijt siquidem per castra relictis:
Quo cum maiori vi remeare queat.
Hæc reputa laceri Clæmens bone pastor Ouilis, *Ad Pont. maximum.*
Qui nunc cum magno Cæsare iunctus ades.
Hec perpende precor: demittas cor & in altum
Nam res officio conuenit ista tuo.
Ex animis regum contracti tolle vicissim
Si quid adhuc odij: q; reor, intus habent.
Corruptasq; nouo repara munimine caulas,
Et duc palantes ad sata lęta greges.
Non Lupus est tanti: modo sit gregis vna voluntas,
Incidet in casses bestia crassa tuos.

6

Non desunt vires, animus nec ad ista profecto
Pontifici tanto dignus abesse potest.
Sit licet attritum Latium per bella, luesque:
Succreuit pubes Itala multa tamen.
Hæc cum magnanimis belli ductoribus ibit,
Quos tibi, si queres, Ausonis ora dabit.
Euganeosque patres, terraque, marique, potentes,
Pace prius facta, sub tua signa trahes.
Magna dabit sæui Germania robora Martis
Quæ generat pronos semper ad arma viros.
Hoc etiam faciet florens Hispania, claris
Militibus, quos hęc bellica mater alit.
Et cataphractorum tibi mittet Gallia turmas.
Irarum fertur iam posuisse minas.
Arcubus extensis, opulenta Britannia, multos
Sponte viros, ad tam nobile mittet opus.
Procæris phrisij iungent sua castra Bathauis,
Belgarum ducet quos galeata cohors.
Scotus & arma feret: cũ Cimbro Danus, & hij qui
Ad mare concretum iugera rara colunt.
Hũnus & oppressus duce te sua tela resumet,
Inque sui regis iura redire volet.
Accurrent fortes infracto corde Boemi,
Et prope quæ gentes regna propinqua tenent.
Non deerit bellax tibi Sarmata, trux & Alanus,
In leuibus pugnans nec Lituanus ęquis.

Hij iam cum Moscis toties, Dacisq́; Scythisq́;
Cum Turcis etiam conseruere manus.
Isti nunc Regis Sigismundi iussa sequuntur,
Quo nullum, qui te plus veneretur, habes.
Nil aliud petit hic, nihil est q̄ crebrius optet,
Inter oues q̄ q̄ mens foret vna tuas.
Quodq́; sub vnanimi consensu pectora Regum
In crucis osores conciliata forent.
Hoc si perficies; nil pax remorabitur illum
Turcica: rescindi, sit pia causa, potest.
In longum non est tempus confecta, priusq̄
Ibimus in Turcas, desinet illa prior.
Fac modo Christicolæ cōcordes arma capessant:
In Bizantinis bella gerantur agris.
Gentibus instructi sint terra, per freta: classe,
Victum cum neruo sufficiente ferant.
Bosphorus in primis capiatur Thracius, & sic
Hostibus occlusis impediatur iter.
Hoc non vnius bellum præsumitur anni,
Si debet iusta sedulitate geri.
Quod postq̄ fiet, Rex Sarmata pacta remittet,
Sponteq́; cum reliquis Regibus hostis erit,
Interea sed quum nihil in cōmune moueri
Sentit, vult pacis commoditate frui.
Nec se cum Regnis; quum nemo iuuare procurat,
Perdere, solus em̄ ferre tot arma nequit.

Sigismundus huius nominis primus Rex Poloniæ.

Iam licet a Turcis sit tutus, gens tamē illi
Taurica cum socijs: nescia pacis: obest.
Hæc venit a tumidis toties Mæothidis vndis:
E t magno numero plurima damna facit.
Et quamuis aliquando fera cum gente pacisci
Cogitur, obseruat non tamen illa fidem.
Hinc conductitio fines custode tuetur:
Et turmas E quitum semper in ære fouet.
Sic infestatur crebris incursibus: vnde
Tempora securæ pauca quietis habet.
Nullius auxilium tamē vnq̃ sensit: & hostes
Numinis innumeros sæpe cecidit ope.
Regibus hinc prestat multis: prudentia & annis
Vsu quam longo tempora ferre solent.
Indeq́ præteritam præuiderat ante ruinam:
Et nisi succurras: iam grauiora: videt.
Quare per Christi tibi viscera supplicat, orbi
Vt modo languenti: pharmaca tuta, pares.
Nec mora te tardet: iam limina possidet hostis:
Si non obsistes, in penetrale ruet.
Diuersas igitur mentes: odijsq́ vicissim:
Flagrantes, certo parcis amore foue.
Et reminiscaris: q̄ pacis amator: & auctor
Te Deus in terras, hac ratione dedit.
Si quid restat adhuc irarum: bella q̄ ista:
Tempora vel quod idem prisca dedere tibi:

Si quid Gallus adhuc contra prætendit Iberum:
\ Si quid in hos Iesus forte Britannus habet.
Si quid inest alijs veterisue: nouiue furoris:
Quo iacuit res, heu, publica pressa diu.
Tu pater in natos Clæmensque piusque resolue:
Et sic concordes duc ad ouile tuum.
Cæsar adest præsto: propere, quo iusseris, ibit,
Ante tuos & ob id procidit ille pedes,
Hesperiamque suam linquens, traiecit ad istam:
Vt veniens faceret quę tibi grata forent.
Hoc etiam reliqui facient ex ordine Reges:
Tu modo ne dubita: promere signa iube.
Cæsaris imperij sacra tempora cinge Corona:
Quod si fit, refert, hic, vel in vrbe, parum.
Tu tecum Romam, non te fert illa quod aiunt:
Esseque dicitur hæc, hic vbi Papa manet.
Acrior hinc fiet: Diademate fretus, in hostes,
Quo debetur ei, Turca quod omne tenet:
Conatus adeo sanctos successibus auge:
Vt ceptum feruens aggrediatur opus.
Quod si perueniet Germanas sospes ad oras.
Nullus ibi, qui non sponte sequatur, erit
Hostis ad Euphratis fugiet procul hostia magni.
Cum Græcis rursum Thrax sacra nostra colet:
Si tecum retro Tyberis transibit ad vndas,
Hinc & ad Hispanos per mare carpet iter.

Hostis ad Eridanum furiosa mente feretur,
Et sua firmabit, forsan in Vrbe: sacra.
Hæc prohibere potes, dum tps, & integra res est.
Vix unq̃ posthac copia talis erit.
Ad Cæsarem.
Hoc etiam quum iam cognoscas inclyte Cæsar
Vt bene perpendas, te tua iura monent.
Incultis igitur numeris innixa, seorsum
Ad te contendit flens Elegia loqui
Da veniam, durum est feruente dolore tacere,
Aflicto cordi quem bona causa facit
Vera loquar, ter nanq; tua versatus in aula,
Nunc hic, Sarmatico missus ab orbe: vagor.
Per mare, per terras, a Gadibus actus ad Eurum,
Te comitatus ad hoc sum procul vsq; solum.
Hic vbi sublimi populosa Bononia turri,
Iuncta suo Reno, tollit ad astra caput.
Venimus huc, & iam bis cursum luna peregit,
In Turcas sed adhuc nulla statuta liquent.
Et quamuis iusto premitur Florentia bello:
Non minus in Turcas res ea digna foret.
Austriacis nuper dum grassarentur in oris,
Multa ferebantur: quę modo muta, silent.
Ex te q̃ subito natus calor iste refrixit:
Effectus causa deficiente, docet.
Non tamẽ ergo puta cæsos: vel forte fugatos:
Dicuntur subito q retulisse pedem

Et q

Et quod quassatam propere liquere Viennam,
  Innumeros quæ tot pertulit icta globos.
O vtinam non sit quod opinor, vere redibunt,
  Hic reditus magni causa timoris erit.
Aspera quam primum sua frigora Bruma remittet
  Quumque suum quæret, Daulias ales Itim
Mox ex hybernis: quo cocessere reuersi
  Reliquias alia commoditate petent.
Iam didicere, prius quod forsan defuit illis:
  Concita quid nostri militis arma valent.
Et quibus illa modis tractent: illisque fruuntur:
  Ordine quo pedites in statione manent.
Impete quoque solent extra procurrere vallum:
  Et qua defendunt, mœnia fracta, manu.
Quid veles possit, quid eques grauis arma ferendo,
  Quoue struant acies, insidiasue modo.
Hæc quum iam noscant, ex omni parte cauebunt,
  Aptius ad pugnam seque parare scient.
Nascitur ex vsu rerum prudentia maior
  Non pallet visis nauta probatus, aquis.
Nec metuit Vulpes, quæ vidit sæpe Leonem:
  Ad notosque canes non timet ire Lupus.
Præsertim quos affecit formidine quondam
  In tales versus plus feritatis habet.
Quam tuus impigre miles deiecerit hostem,
  Libera iam tandem facta Vienna probat.

Intrepidi quicunq; viri pro mœnibus illis
Stabant, sunt omni laudis honore pares.
Non tamen hostilis vis inde repressa tepescit:
Sed vereor ne sit forsitan aucta magis.
Abduxere tuos populos a finibus Aeni,
Qua magis alpinas respicit ille niues.
His coniunxerunt habitantes vndiq; pagos
Austriacos, quos mox igne cremasse ferunt.
Hũniacas & opes multa cum gente tulerunt,
Pro qua uis auri plurima cædet eis
Sic dites spolijs redierunt nuper opimis:
Thracius hinc in nos sæuior Isthmus erit.
Si pro vere nouo: quod opinor, forte redibunt,
Maior erit numerus q̃ fuit iste prior.
Aduenient magna prædæ dulcedine capti:
Ex Asię vastis: ex Lybięq; iugis.
Iam sibi promittunt Europæ totius orbem,
Quem nisi defendas. quod petiere, ferent.
Interea quo ceperunt Taururica castra
Et quo phœbęam corripuere Rhodum.
Non poteras alijs bellis intentus adesse,
Quum te vicinus traxit ad arma furor.
Is pacem, tandem sopitus, fecit, & hostes
Fœdus amicitiæ iussit inire tuæ.
Hęc pax te Lacias properantem duxit ad vrbes
Ad quam iampridem mens tibi prona fuit:

Vtq; tuos faceres inimicos rursus amicos,
Nil non tentasti quod rationis erat.
Hoc quum successit, nec te vicina morentur
Bella magis: quæ sunt iam potiora, vide.
Turcarum rabies quo tandem, prospice, tendat,
Quę sic quottidie crescit, & aucta viget.
Quam sit in angustis hic nunc perpendito rebus, Ferd. Vnga. & Boe. Rex.
Quem tibi germanum fecit vterq; parens,
Huic nisi succurras per te neglecta peribit
Austria, qua Generis creuit origo tui.
Latius hocq; malum serpet, vix Rhenus idipsum
Sistet, vel rapidis Albula priscus aquis.
Hęc ne prouenīant, o Cæsar cum patre sancto:
Prouideas, spectant vos mala nostra, duos,
Componas laceras modo tēporis huius habenas:
Contineasq; tua, lora remissa, manu.
Suscipe quod Diadema tibi debetur: & Vrbem
Ne cures, Vrbs est Felsina clara satis.
Rex quum Romanus non visa diceris esse,
Roma, cur non sic Cæsar & esse potes.
Te modo fac propere Germanas confer ad oras,
Hostibus vt possis arma mouere Crucis.
Nam tua res agitur, domus ardet ꝓpria, quam si
Liqueris ardentem, quid nisi puluis erit.
Tolle moras igitur, nec ēm sine numine Diuum
In Latium ductus: tempus ad istud ades:

Te Deus æternus teneris protexit ab annis:
 Inq; tuos hostes præuia signa tulit.
Et pro te pugnans: te fecit in orbe Monarcham:
 Imperijq; dedit: sceptra chorusca, tibi.
Quod, preter reliquas virtutes quas geris, ingens
 Promeruit sanctæ relligionis amor.
Victrices Aquilas Christo duce profer in hostes:
 Ille tuis cœptis, vela secunda, dabit.
Nec deerit Clæmens, qui te quo cœpit amore
 Prosequitur patrio: cuius id acta docent.
Clarius hoc etiam doctura, iuuabit euntem:
 Aere sacro, fusa perq; sacella prece.
Accedent alij Reges tibi sanguine iuncti
 Et iunctos quos ex fœdere nuper habes.
Fœdera sed toties infecta: refectaq; rursum
 Me terrent, nec em̄ suspitione carent.
In miserum sumus impacti: quod viuimus æuum,
 In quo rara Auis est, inuiolata fides.
Tu tamen in superos qui spem non ponis inanem.
 Vtere propositi dexteritate tui.
Scis quibus ante modis: desertis sit tibi pactis
 Impositum: simili cautus ab arte caue.
Sunt consultores tibi, per quos omnia tractas:
 Magna præstantes integritate viri.
Horum consilio: si quis latet Anguis in herba:
 Retia vel fuerint si tibi structa, scies,

Quicquid id est: superi quum te cepere regendũ:
Insidijs poterit nemo nocere tibi.
His Ducibus: cõtra te nulla valebit aperta
Hostilis feritas: sed tibi terga dabit.
Non te detineat ꝙ Iberia tam procul absit:
Quodqꝫ tuum reditum, vota per ampla, petat.
Te poterit leuius nunc q̃ prius illa carere:
Quum natos habeat: pignora chara, duos.
Hos deus ergo tibi viridi concessit in æuo:
Vt per te rabidi frangeret ora Lupi.
Te, nostris lachrymis tandem permotus, adegit
Traijcere indomiti per vada salsa freti.
Hæc tibi de summo mens indita venit olympo:
Vnde nihil frustra pectora nostra subit.
Hinc ita firmatus recutitos ibis in hostes,
In multis statues: clara trophœa locis.
I decus, i nostri spes orbis, maxime Cęsar — *In Turcas adhortatio.*
Quo tempus, quo res, & pia fata vocant.
Per te vult orbi Deus altam reddere pacem:
Quæ iacuit per tot bella sepulta diu.
Per te vult animos fessos firmare suorum
Funditus vt pereat gens inimica Crucis.
Tu propere, ꝙ cepisti, iam pectore toto
Perfice, protectus numinis ibis ope,
Maiores agnosce tuos clarosqꝫ triumphos
Quos ataui quondam promeruere tui.

Experiare tuam fausto sub sidere sortem:
Quæ te victorem sæpe probata facit.
Et faciet, ceptis ne desis ipse secundis,
Sub Iouis alitibus, castra tremenda: moue.
Te fœlix fortuna comes: virtusq; sequentur:
Orbis & imperium, sub tua iura, dabunt.
Non monitoris eges, nec opus currentibus esse
Fertur equis stimulo, tu tibi calcar eris.
Ibis ad hostiles, Thracum per iugera, terras,
Et Syriæ capies, Regna vetusta, sacræ.
Vnde triumphali te tunc Elegeia curru
Aspiciens, sparsas colliget arte comas,
Et pede coniuncto Sophoclæum nacta cothurnum:
Grandiloquis referet tot tua gesta modis.
Hos modo præcipites numeros ne sperne, q atrum
Squalorem vultus temporis huius habent.
Sarmata vel Lacios q perstrepit inter olores:
Sub gelido, natus, qua riget vrsa polo.
Hic vbi Sarmaticum vagus Istula, fertur in æquor.
Et tuta portum cum statione beat.
Nostrarum facies rerum miseranda coegit:
Ex tristi faciles pectore versiculos.
Vtq; fluunt subito feruore, feruntur ab ore
In calamum, neruo vix retinente pedes.
Non sunt in nonum, fieri q debuit, annum
Pressi, nec cura cum grauiore dati

Hoc fit victuris numeris, quos anxia, multo
Cum ſtudio, vatum ſollicitudo premit.
Hij noſtri modo conflati, cito clauſtra relinquũt,
Et leuibus pennis in ſua fata volant.
Tempora noſcantur geſtis cum rebus in illis:
Et moueant animos, tot mala noſtra, pios.
Et ꝙ per Turcas Regi cecidere Polono,
Hũnorum Reges, patruus atq; nepos.
Quodq; per incurſus ex omni parte, coactus
Cum Turcis fœdus pacis inire fuit.
Hoc mihi ſi dederint properantes dicere Muſæ:
Non eſt cur illas plus ſupereſſe velim.
Summa Meduſęi non ambio culmina montis
Vngula quæ tetigit Bellorophontis equi
Aonios Latices, quibus eſt ſitis alta: requirant:
Me leuis in valles quæ fluit vnda iuuat.

FINIS.